

obfirmare Deo adjuvante, ut nullis diaboli machinis superari queat, et in pristinam captivitatem ejus reduci. Sic enim et Apostolus dixit ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, etc. poterit nos separare a charitate Dei.* Tale igitur propositum si et nos conciperemus, experiremur profecto majorem poenitentiae nostrae fructum, nec tam facile in idem volubrum ut sus lota rediremus. Sed nimirum plerique omnia obiter agunt, pauci seminant salem super peccata sua, vel projiciunt in mare claves compedum suorum. Ad paucos aliquot dies, donec festivi scilicet praetereant et quamdiu occasio et tentatio non occurrit, proponunt abstinere, sed postea mox sibi ipsis viam reserant ad peccandum et libertatem.

Tertio sit universale, non unum aut aliqua tantum peccata, sed omnia vitandi, ita ut nec inordinatum affectum ad aliquod peccatum lethale retineas. Non enim dimittitur unum peccatum sine alio, quia gratia Dei non consistit cum ullo peccato; et deinde qui in corde suo fovet unum Dei hostem, eo ipso ostendit se quoque Dei hostem esse, et reliqua peccata non detestari ideo, quod Deo adversentur, sed ob humanos alios respectus. Nihil profuit regi Achab quod reliquo toto corpore fuerit munitus aeneo thorace, praeterquam uno in loco, inter pulmonem et stomachum, ubi sagitta casu infixam eum occidit. [III. Reg. ult. Suasit Apostolus ad Rom. XIII. ut abjectis operibus tenebrarum, induamus arma lucis: sed nisi undique armis tecti simus, nullumque omnino relinquamus locum ulli peccato, nihil nobis prodest, siquidem una peccati sagitta occidere hominem potest et mittere in gehennam. Neque tantum voluntas peccandi deponenda est, sed etiam affectus erga peccatum: est enim affectus inordinatus quasi ovum et semen, unde facile prodit peccatum. Milites Maximiani imperatoris non contenti ipsum imperatorem, utpote pessimum, occidisse Aquileiae, ejus etiam filium adolescentulum peremerunt dicentes: « Ex pessimo genere nec catulum retinendum esse. » Refert Julius Capitolinus. Et quae soboles magis pestilens quam peccatum? Igitur nec catulus, seu affectus quidem unus peccati retinendus est in animo, ne et ipse adolescat et peccatum fiat. Postquam Pharaon multis plagis coactus, dimittere voluit Israelitas, volebat, ut saltem uxores et parvuli eorum remanerent, viri autem ad sacrificandum abirent. Sed cum hoc nequaquam contentus esset Moyses, dixit Pharaon: « Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestrae et armenta remaneant. » Sed neque hoc concessit

Moyses: *Cuncti greges, inquit, pergunt nobiscum, non remanebit ex eis ungula.* Exod. X. Sciebat enim Pharaon, facile retrahendos et reversuros Israelitas in Aegyptum, si uxores et liberos aut saltem pecora sua ibi relinquerent. Similiter novit daemone facile retrahendum hominem ad peccata, si modo affectum eorum retineat: v. g. erga pellicem, vel pecuniam; si saepe de ea cogitet, eam desideret, de ea loquatur, etc. licet homo peccata ipsa per confessionem deleat: itaque non remaneat ex eis ungula. Hoc voluit Jeremias Thren. II. cum dixit: *Effunde sicut aquam cor tuum.* « Caeteri enim liquores, (inquit Hugo de S. Victore), vel sapore infecta vasa relinquunt. Qui ergo peccatum omnino, sed non peccandi affectum ejiciunt, in vase saporem noxium adhuc servant. » Sic ille.

Quarto sit efficax primo, ita ut non ipsa tantum peccata, sed etiam proximas saltem peccandi occasiones devitare proponat, et cum potest, remove. Nam ut Sap. ait: *Qui amat periculum, peribit in illo,* Eccli. III. *et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea,* Eccli. XIII. Signum est eum non optare munditiam, qui non statuit abstinere a tangenda pice. Et in hanc sententiam dixit Dominus Matth. cap. XVIII. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Hoc enim verbo praecipit, ut fugias locum, personam, officium, libros, colloquium et quaecumque ad peccandum te inducere solent aut facile possunt. Ut si noveris te inordinato amore trahi erga personam aliquam, vites ejus aspectum et colloquium. Si noveris cito tibi obesse vinum et praecipitare in aliqua vitia, fugias tabernas et comotationes. Si noveris aliquod officium tibi lapidem esse offensionis, cum Matthaeo id resignes. Alioquin veluti canis cum catena aufugiens facile iterum capitur, quia gerit secum unde reduci potest; ita et tu a daemone cito retraheris in peccatum, si affectum ejus retineas. Postquam Israelitae cum alienigenis feminis contraxere matrimonia, brevi ab eis seducti sunt, ut idola adorarent. Cui malo ut occurreretur, dixit Sechenias: *Nunc, si est poenitentia in Israel super hoc, percutiamus saedus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores et eos qui de his nati sunt.* I. Esdr. X. Sic etiam si est vera in te perfecta poenitentia, non tantum peccata fuge, sed etiam illa remove, quae ad peccandum te inducere solent et possunt. Quando domus aliqua patitur damnum a stillicidio, duplici via occurri huic damno potest: primo si in vase aliquo excipiat aqua distillans et post ejiciatur; sed interim tamen tigna domus putrescent, et demum ipsa domus corruet. Optimum igitur remedium est illud alterum, ut scilicet tectum resarcias, ne stillicidio sit obnoxium: sic enim et domum sar-

tam tectam conservabis. Similiter si tantum singulis mensibus vel etiam septimanis colligas peccata tua in examine conscientiae, et ejicias per confessionem, interim vero radices et occasiones peccandi, unde prodeunt peccata, non caveas, nec obstruas, parum efficies, quia mox eadem perpetrabis et te ipsum sensim perdes. Unde Ecclesiastes c. X. ait: *In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum persillabit domus.* Vult dicere; qui negligit reficere tecti rimas, unde distillant in domum pluvia, videbit tandem corrui sibi domum. Tu ergo si advertas tibi obesse vinum et laxare frænum vitii, teneris id vitare; si lectione pravorum librorum incitari te ad malum, teneris eos amovere, etc.

Secundo, ut proponat adhibere efficacia remedia et antidota peccatorum imminetium; sic enim convalescentes utuntur diæta et regula vivendi. Sic qui hoste pulso civitatem aliquam occuparunt, ponunt in ea praesidium militum: alioqui non videntur magni aestimare, nec velle conservare eam. Aquila nidum suum munit lapide æthite, qui valet contra venenum. Tiberius Cæsar, quando fulgura cernebat et tonitrua audiebat, tempora lauro cingebat contra fulmina. Ut refert Gemin. lib. III. de vegetat. cap. LXI. Cur ergo non et nos armemur contra spiritualia nequitiae, et abjectis operibus tenebrarum induamur arma lucis, cum quibus obviare possimus operibus tenebrarum?

CONCIO VI.

POENITENTIA BAPTISMO SIMILIS.

I. In materia propinqua. — II. In dispositione. — III. In significatione. — IV. In effectibus. — V. In necessitate.

THEMA.

Venit in omnem regionem Jordanis, praedicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Luc. III.

Duo diversa Sacramenta sunt Baptismus et Poenitentia. Ecce igitur, inquiet aliquis, baptismus Joannis, poenitentiae baptismus appellatur? Respondeo in primis, quia ad poenitentiam inducebat. II. Quia qui eo utebantur, se peccatores ex gestu et humilitate profitebantur. III. Quod secundo Christi baptismum significaret. Addo et hoc, quia baptismo Christi, quem figurabat Joannis baptismus, poenitentia in multis adeo similis est, ut ab Origene hom. IV. in Jos. secundus baptismus appelletur: ab aliis secunda post naufragium tabula, id est, remedium post gratiam baptismi perditam: ab aliis baptismum fere jungatur et pari cum baptismo vi ad remittenda peccata praedicetur, uti a S. Hierony-

mo, qui lib. I. contra Pelagianos prope finem scribit: « Poenitentia imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, etc. » Quare cum baptismum reiterare nequeamus, ejus loco uti poenitentia possumus. Haec ergo qua in re conformis sit baptismo, videbimus.

I. In materia propinqua, quae est contritio et confessio peccatoris, sicut baptismi materia propinqua est ablutio aquae. In poenitentia ablutur homo lacrymis, saltem internis et virtualibus, scilicet dolore peccati: in baptismo aquis elementaribus. Ad haec sicut ad baptismi valorem sufficit quævis aqua elementaris; tamen ex præcepto Ecclesiae requiritur aqua consecrata cum trina infusione chrismatis; ita in Sacramento poenitentiae sufficit quidem dolor imperfectus, qui vocatur attritio: melior tamen et longe præstantior est alter perfectus, qui vocatur contritio, et includit dilectionem Dei super omnia et detestationem peccati, qua est contra summum bonum. Verum in hoc differunt, quia poenitens materiam absolutionis suae ipsemet ex se fundere et suppeditare debet; baptizandus non item: ut cui sufficit aqua ab aliis suppeditata, quia voluit Dominus ut secunda justificatio et sequentes plures nos constarent, quam prima, ut hinc amaritudinem peccati degustaremus. Quam ob causam etiam vocatur poenitentia, secunda post naufragium tabula, quia sicut multo difficilius et laboriosius est in tabula enatare, quam navigio ad portum appellere; ita poenitentia difficilius est post lapsum remedium, quam baptismus. Denique sicut baptismus conferri nequit in aliis liquoribus, praeterquam in aqua; ita poenitentia requirit dolorem ex motivo supernaturali elicito, sive is sit contritio ob summum bonum offensum, sive attritio, ob gehennæ metum vel beatitudinis amissionem. Dolor mere humanus et naturalis, v. g. ob infamiam, poenam, aliudve damnum temporale peccatis invecum non sufficit, ut docet Concil. Trid. sess. VI. c. VI. et sess. XIV. c. IV.

Forma etiam utriusque Sacramenti persimilis est. Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Poenitentiae: *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* quamquam expressio SS. Trinitatis ad essentiam quidem baptismi spectat, non tamen ad essentiam poenitentiae: in neutro tamen Sacramento omitti debet.

II. Ratione dispositionis ex parte suscipientium. Ad baptismi gratiam disponi adultus debet per catechesin, per scrutinia, quibus exerceri et probari debebat olim variis manuum impositionibus, crucis consignationibus, exorcismis, jejuniis, orationibus; per dolorem de peccatis saltem imperfectum, qui est attritio; et in

ipso baptismo per corporis denudationem et capitis demissionem, quam etiam imperavit S. Remigius Clodovæo regi Francorum baptizando, hac voce: *Mitis depono colla Sicamber*; apud Baron. anno 499. Ad pœnitentiæ gratiam vero per considerationem gravitatis et multitudinis peccatorum suorum, per scrutinium conscientiæ, per dolorem et erubescenciam, per accusationem sui ipsius in confessione, in qua se confessario explicare et quasi denudare debet, ut sordes peccatorum abstergi queant: per genuflexionem, pectoris tusionem et suimet humilem accusationem.

III. Ratione significationis. In baptismo enim per trinam immersionem, quæ olim usitata fuit, vel per unam saltem, quæ etiamnum alicubi in usu est, repræsentamus sepulturam Christi; et per emersionem, ejusdem resurrectionem, teste Apostolo ad Rom. VI. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, scilicet peccati*. Ob quam causam in die sepulturæ Christi, sabbato video licet sancto, solemniter baptismus celebrari solet. Simili modo in pœnitentiâ, dum in aurem sacerdotis enuntiamus peccata nostra, sepelimus ea quodammodo, ita ut jam non existant, sed a conspectu nostro, dæmonum, imo et ipsius Dei remota sint. Cujus rei figuram legimus Gen. XXXV. in Jacob patriarcha, qui idola in familia sua deprehensa infodit subter terebinthum. Quin etiam seipsos quodammodo sepeliunt qui pœnitentiam subeunt, dum se in genua demittunt coram confessario, dum se ad tribunal ejus sistunt, seque ipsos culpant, lacrymis et tusionibus puniunt. Postea vero mox, cum absolvuntur, resurgunt et in Christo reviviscunt. « Cum igitur provolvit hominem, (inquit Tertullianus lib. de pœnit. cap. X.) magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum Deus parceret. »

IV. Ratione effectuum. Primus baptismi effectus est, remissio peccati originalis et actualium juxta prophetiam Ezech. XXXVI. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Et Apostolum I. Cor. VI. *Hæc quidem fuistis* (peccatores scilicet) *sed abuti estis, sed sanctificati estis*. Quemadmodum enim Ægyptii in mari rubro omnes submersi sunt; ita in baptismo (sanguine Christi parato) omnia peccata merguntur; juxta id Mich. VII. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Simili modo pœnitentiâ delet omnia peccata actualia, (original e supponit jam deletum.) Unde hæc duo tantum Sacramenta, Pœnitentiâ scilicet et Baptismus, sunt Sacramenta, mortuorum, quos vivificare possunt:

reliqua sunt viventium in gratia. Hæc duo sunt medicinæ purgativæ, reliqua confortativæ.

Secundus effectus baptismi est remissio omnium pœnæ peccatis debitæ, temporalis, et æternæ; ita ut nulla requiratur satisfactio; et qui mox a baptismo moreretur, statim cœli consors fieret; siquidem Apostolus ad Rom. c. VI. ait per baptismum mori nos peccato, et resurgere cum Christo. Pœnitentiâ etiam tollit pœnam æternam, et commutat in temporalem, quæ tamen et ipsa tollitur ex parte per contritionem, confessionem, satisfactionem; et quandoque ex toto, si nimirum tria illa remedia magna intentione adhibeantur. Porro uti baptismus non tollit homini concupiscentiam; ita nec pœnitentiâ habitus pravos peccandi frequentia contractos. Relinquuntur enim homini tam hi quam illa ad illius exercitium, magno ejus commodo, ut habeat hostes domesticos, de quibus triumphare possit.

Tertius est gratiæ infusio, qua filii Dei adoptivi et hæredes cœli efficiuntur, Deoque grati sumus. Quæ omnia symbolice expressa sunt in baptismo Christi, dum vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: et dum cœli super eum aperti sunt: et dum Spiritus Sanctus in columbæ specie descendit super eum. Hæc enim fieri invisibiliter cuius baptizato ostendi potest ex Apostolo, qui ad Gal. III. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; id est, Christi gratiam, dona et virtutes accepistis, ita ut quidquid Christi est, vestrum sit, et ipse sit quasi vestis vestra. Quam fortasse ob causam olim qui christiana religione initiabantur, pallium induebant more Græcorum philosophorum; unde Græci vulgari convicio vocabantur, teste Hieronymo epist. ad Furiam de viduit. Eo igitur induti pallio prodire in conspectum Dei audemus. Novimus Elisæum IV. Reg. V. aspectum et alioquium negasse leproso Naamani; ubi vero hic in Jordane lotus lepram deposuit, utrumque humaniter impertisse, dixisseque: *Vade in pace*. Ita nimirum Deus quos ante baptismum aspicere noluit, post baptismum humanissime accipit velut filios, utpote a peccati lepra mundatos et integræ sanitati restitutos. Mutantur enim baptizati in virum alterum et pristinis vitiorum moribus depositis, novos induunt virtutum. Quod testatur imprimis de se S. Cyprianus lib. II. epist. II. ad Donatum, ubi explicat, quam potenter e prioris vitæ erroribus et vitiis per baptismum ereptus sit; tum subdit: « Scis ipse profecto et mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis quidve contulerit mors ista criminum, vitæque virtutum; » baptismus videlicet. Id ipsum in se expertum se fatetur S. August. I. IX. conf. c. XII. Experiuntur hodieque

Indi, qui per gratiam baptismi e feris ac barbaris mutantur in homines: imo ambiunt pro Christo martyria, uti Japones ingenti copia.

Non multum etiam in hoc effectu cedit pœnitentiâ baptismus. Nam et hominem reponit in statum gratiæ et cœli hæreditatem, quemadmodum baptismus; et si non semper, sæpe tamen, quando nimirum seria, immutat hominem, et ex atro facit album, ex peccatore amatorem, ex publicano Apostolum, ex Saulo Paulum, etc. ut alibi vidimus.

Quartus est impressio characteris, quo tamquam nota Ecclesiæ filii signantur, et aliorum Sacramentorum capaces redduntur, necnon iridem quamdam cœlestem accipiunt, qua ipsi momentur meminisse obligationis suæ, qua Deo se obstrinxerunt; et ex altera parte significat Deus, se gratiam homini datam nequaquam velle subtrahere, si ipse eam non expulerit. Propter hunc effectum iterari baptismus nequit. Caret quidem hoc effectu pœnitentiâ, ejus tamen loco confert homini pacem et quietem conscientiæ, gaudium interius et certam spem salutis; nobisque hoc utilior est, quod reiterari potest, quoties opus est.

Quintus est extraordinarius et rarus, sanitas nimirum corporis, quæ per baptismum aliquibus collata fuit, una cum sanitate animæ. In primis S. Augustinus lib. XXII. de civit. cap. VIII. refert medicum quemdam per baptismum a podagra curatum: fœminam autem a cancri corrosione liberatam. Deinde historiæ ecclesiasticæ referunt, Theodosium imper. ab episcopo Thessalonicensi baptizatum sanitatem recepisse, et Constantinum Magnum suscepto baptismo per Sylvestrum papam a lepra mundatum esse. Historia tripartita I. IX. cap. VI. et Nicephorus lib. XII. cap. VI. et lib. VII. cap. XIII. Similiter S. Gaugerius Cameraacensis episcopus ethnicum hominem lepra laborantem ad fidem suscipiendam permovit, postquam ei incolumitatem per baptismum promisisset; baptizatus enim et corporis et animæ lepram abstersit. Surius tom. IV. in vita S. Gaugerici. Ottilia cæca anavitare in baptismo visum recepit, posteaque monasticam vitam in Alsatia exercuit, quæ ob sanctitatem colitur apud Argentoratenses. Baron. in martyrol. XIII. Decembr. Judæus quidam paralyti laborans, frustra tentatis omnibus medicamentis, ad Christianorum baptismum confugit, qui in lecto ad baptisterium deportatus, sanitatem mox recepit; inde factum ut quam plurimi gentiles baptismum suscipere, ut scribit Socrates hist. I. VII. c. IV. Denique nostro ævo S. Franciscus Xaverius feminam præ dolore partus mortis vicinam baptismo liberavit et sanitati restituit. Horatius Tursellinus in ejus vita.

Non desunt etiam pœnitentiæ similes effectus quandoque obtenti. Refert enim S. Gregorius Turon. de glor. confess. c. XCIII. diacorum quemdam peccatum suum obstinate et malitiose negantem, in extremam infirmitatem incidisse, confitentem autem subito convaluisse. S. Bonaventura in vita S. Francisci narrat quemdam, qui visum peccando amiserat, confitendo recepisse. S. Bernardus scribit energumenam Sacramento confessionis expiatam, a dæmone liberatam per S. Malachiam, ut in ejus vita.

V. Ratione necessitatis: tam enim pœnitentiâ post admissum a baptismo peccatum, quam baptismus ipse porta est necessario transeunda, si quis ingredi cœlum velit. Ut enim de baptismo ait Dominus Joannis III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Ita etiam dixit de pœnitentiâ Luc. XIII. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Unicum arcæ Noe ostium fuit, per quod ingredi debuerunt quotquot salvi esse voluerunt. Hoc autem est baptismus: et post baptismi gratiam perditam pœnitentiâ.

Cæterum sicut nondum regeneratis ad justificationem et salutem sufficit votum baptismi, quod dicitur baptismus flaminis seu dilectionis Dei super omnia, ita et regeneratis, post lapsum ad consequendam remissionem peccatorum et salutem sufficit votum Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est contritio: ita tamen ut si postea Sacramentum suscipi possit, reipsa suscipiatur. Nemo igitur anxius sit ob hoc, quod ipsi evidenter non constet, an sit baptizatus vel absolutus. Concipiat enim serium baptismi votum, et veram contritionem, sicque tutus erit.

Superest nunc, ut nos qui baptismi et pœnitentiæ beneficio ad cœtum filiorum Dei ingressi sumus, tanti beneficii memores simus et donatam in iis gratiam sedulo conservemus. Naaman certe, de quo diximus, Dei veri religione suscepta, ne in terra gentium videretur adorare deos alienos, terræ sanctæ massam, in qua staret orans, secum abstulit in patriam. Viderit etiam Christianus ne postquam sacro lavacro ablutus est, deinceps adoret Deum alterum; sed potius auferat e baptismo et pœnitentiâ memoriam obligationis suæ et gratiæ acceptæ; dicatque mundo, carni, dæmoni, cum Nabotho: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi*. III. Reg. XXI. Gratiam, inquam, baptismi, quæ semel abalienata difficulter reparatur, videlicet non nisi per secundum baptismum pœnitentiæ et lacrymarum. Quis non malit adhuc integra et